DECLAMATIO ADUERSUS NOSTRORUM TEMPORUM NOUATORES IN…

Domenico Maranta

Digitized by Google

Digitized by Google

1012 . 20
Digitized by Google

Digitized by Google

BI
1012
20

DECLAMATIO ADVERSVS NOSTRORVM TEMPORVM NOVATORES

IN PISANIS ATHENIS HABITA.

Dominico Maranta Dominicano pubblico pro-feſſore Sacre ſcritture, & Philoſophia ordinarie interprete auctore.



1872

FLORENTIAE
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO MAGNO DVCI HETRVRIAE CARD. FERDINANDO MEDICI DOMINO, ET BENEFACTORI SVO,

DOMINICVS Maranta ex Inſtituto Prædicatorio ſacræ ſcripturæ, & Philoſophiæ ordinariæ Publicus profeſſor in Piſanis Athenis, Fœlicitatem.

QVAM multa ſunt, Sereniſsime Magne Dux Ferdinande, Cardinalis, quę me impulerũt, vt hoc, quodcunque eſt exiguum diploma, celſitudini tuæ dicarem. Primum, vt grati animi, & propenſæ meæ ſeruitutis deuotionem ſignificarem, in Sereniſsimam, & Regiam Proſapiam tuam. Alterum res ipſa, quæ offertur, quæ cùm de ſectariorum noſtrorum temporum perfidia, & ſcommatibus agat, non poteſt ijs non eſſe gratiſsima, qui ſemper, vt veritatis defenſores, ita ſectariorum extitere depopulatores. Poſtremum, quamplurima encomia, quę de Catholicę,

tholicę, & Apoſtolicę R.E. maieſtate proponuntur, quę tibi gratiſsima fore confido; qui cum auctoritate, & dignitate, quam a teneris vngniculis accepiſti, ei prodeſſe, eam defendere contendiſti ſemper. Hoc enim primum eſt quod Diuinus vates Iſaias proponit cernens Saluatoris noſtri Chriſti Ieſu Eccleſiam gentium multitudine decoratam; Regum, & Principum prędidio ſuffultam, protectam, atque defenſam gaudij, & exultationis cauſſa in hanc proſilijt vocem; Erunt Reges nutricij, & Reginę nutrices tuę; vultu demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Neque hoc tanto elogio contentus, ſubdit, Eris derelicta, & ſola; ſuges tamen lac Principum & mamilla Regum lactaberis. Poſtremum, quo ſummopere delector eſt, cum Apoſtolorum Coripheum intueor acclamantem.

Eccleſiā pro Naue rego, mihi clymata mundi,
Sunt mare; ſcriptura, retia; piſcis, homo.

Quam dignitatem conſiderans D. Hieronymus ad Nepotianum, inquit, Ante reſurrectionem Chriſti notus tantum in Iudęa erat Deus, in Iſrael magnum nomen eius. Nunc

autem

autem paſsionem Chriſti, & reſurrectionem eius cunctarum gentium voces, & litterę ſonant. Taceo de Hebræis,Græcis, & Latinis; quas nationes ſuæ crucis titulo Dominus decorauit Immortalem animum & poſt diſſolutionem corporis ſubſiſtentem; quod Pythagoras ſomniauit; Democritus non credidit; in damnationis ſuę conſolationem Socrates diſputauit in carcere; Indus, Perſa Gothus, Aegiptius philoſophantur. Beſſorum feritas, & Pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferijs homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce crucis fregerunt melos; & totius mundi vna vox Chriſtus eſt. Quodſi vnquàm hoc euenit, hoc tempore euidentiſsimum apparet, quando Chriſti euangelium ad vltimas orbis oras omnium vna voce prędicatur. Quam rem Diuino ſpiritu afflatus idem Doctor ad Lętam ſcribens aduertit; Solitudinem patitur & in vrbe Gentilitas. Dij quondam nationum cum bubonibus, & noctuis in ſolis culminibus remanſerunt. Vexilla militum crucis inſignia ſunt. Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli ſalutaris pictura cõdecorat.

Iam

Digitized by Google

Iam & Aegiptius Serapis Chriſtianus factus eſt. Marnas, Gazæ lugetinclusus,& euerſionem templi iugiter pertremiſcit. De india, Perſide, Aethiopia monachorum quotidie turbas ſuſcipimus. Depoſuit pharetras Armenius, Hunni pſalterium diſcunt; Scithiæ frigora feruent, calore fidei. Getarum rutilus, & flauus exercitus eccleſiarum circumfert tentoria, & ideo forſitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt. Quibus verbis, quantum Chriſti eccleſia Regum præſidio munita profecerit; & palmites ſuos, atque propagines ad maria vſque extenderit, vix exprimi poteſt. Nec vſque ad maria tantùm, verùm noua flumina, nouum denique orbem perluſtrauerit teſtis eſt non tantùm oriens, verùm occidens. Principes nanque, & Reges Chriſtiani hi ſunt clypei fortiſsimi, munitiſsimæ arces; cataphracti validiſsimi, triarij robuſtiſsimi; qui omnes inimicorum aggreſſus non modò compeſcunt, verùm eorum impetus vniuerſos ſapientiſsimè labefactant. Mitto Conſtantinum Chriſtianiſsimum Imperatorem; Prætereo Theodoſios illos, auum, & nepotem. Item Heraclium Imperatores Maximos,

mos, & alios quamplurimos Catholicæ fidei propugnatores acerrimos, quorum egregia facta nulla vnquam delebit obliuio. Conſidero ſolum his noſtris temporibus in quibus iſti noui Gygantes orbem diſsidijs concutiunt; qui parentem ſuum referunt qui primus (quę noſtra imbecillitas fuit) ſeuit tranquillitatem in deſidiam; deſidiam in otium; & otium in ſoporem, & abijt clam in ſparſis Zizanijs vitiata ſegete euangelica; Sereniſsimos Magnos Hetrurię Duces, Coſmum, & Franciſcum, celſitudinis tuę parentem, & fratrem; qui Hetruriam virginem a ſectariorum ingluuie ſeruarunt. Quorum fides incorrupta; Iuſtitia ſingularis, Pietas, deuotio, & ardens inſtaurandę Religionis ſtudium conſeruabitur ſemper, donec mortale hoc induat incorruptionem. Quę cum tacitus ipſe conſidero, tanta afficior animi iucunditate vt beatum hoc noſtrum ſeculum dùcam; & longè beatiorem exiſtimem Hetruriam vniuerſam, quæ Sereniſsimos Coſmum, & Franciſcum, nunc autem te Sereniſsimum Ferdinandum ſortita eſt Magnum Ducem. Qui fidei feruore ſuccenſus, eamquam dediſti ſignificationem omnibus de tua

integri-

Digitized by Google

integritate, bonitate, & in religionem Chriſtianam vniuerſam Chriſto duce ſuſtinere valeas in ea quę caput eſt orbis vrbe Roma. Cuius fidem Apoſtolica voce laudatam eſſe ſcimus: in qua perpetuò conſeruatam eam fuiſſe; quę eſt ab Apoſtolis, traditionem, refert Irenæus. Cui totam doctrinam Apoſtolos vnà cum ſanguine ſuo profudiſſe Tertullianus affirmat. Ad quam acceſſum habere perfidiam nunquam potuiſſe teſtatur Cyprianus. Quam ita ſemper Patrum doctrinę fuiſſe tenacem, vt quoties Romana fides diceretur, Catholicã, intelligerent, teſtis locupletiſſimi, ſunt Hieronimus & Ambroſius. In qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguiſſe Principatum narrat Auguſtinus. Quam Hæretici fœtoris expertem permanſiſſe ſemper, & gratiam Apoſtolicam ſeruaſſe inuiolatam, narrat Theodoretus. A qua, qui diſceſſerunt, experiuntur, quàm verum ſit illud, quo Cypriani voce monemur, Non aliunde abortæ hæreſes ſunt, aut nata ſciſmata, quàm inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos: & ad tempus vice Chriſti cogitatur. Sed Epiſcopus, qui vnus eſt & Eccleſiæ

Digitized by Google

cleſię ſ rçeſt, ſuperba quorūdam præſumptione contemnitur; & homo Dei dignatione honoratus, ab indignis hominibus iudicatur. Hinc ductus ego, Sereniſsime Magne Dux Ferdinande Cardinalis, vt muneri mihi demandato à Sereniſsimo Magno Duce Franciſco, & à Celſitudine tua poſtea in Piſana Academia, quantùm poteram ſatisfacerem in ipſius cathedrę ingreſſu declamationem habui aduerſus noſtrorum temporum nouatores, & ſectariorum portenta ſum deteſtatus, meique officij reddidi cauſſas. Et quoniam rogauerunt amici, quibus nulla debui ratione refragari vt prælo traderem, hoc quicquid eſt, tibi inſcripſi cui me, & mea omnia debere non me latet. Quod eò feci libentius, quoniam hactenus cum magna tui nominis gloria feciſſe prædicaris proſpexiſſe ſemper, preſto fuiſſe ſemper in omnibus vt vtilitati, commodo, & emolumento S. R. E. Conſuleres, & prodeſſes. Quod etiam nunc boni omnes te præſtiturum magis certò confidunt etiam ſi cōſtiterint aduerſus te caſtra, non timeat cor tuum; Etiam ſi exſurgat aduerſus te prælium, in ſolo Chriſto ſperato. Nam elegit te Deus,

 non

non abiecit te, nec abijciet vnquàm. Vocauit te, & dixit tibi, ſeruus meus es tu. Perge vt cœpiſti, eſſe Chriſti ſeruus, & Eccleſię Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanę defenſor. ¶ Quoniam cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, tibi autem non appropinquabit. Ne timeas inquit Dominus, quia ego tecum ſum, ne declines, quia ego Deus tuus. Huius præſidio fretus viriliter age, confortetur cor tuum, & cum Diuino vate dicito, Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meę, a quo trepidabo? Si exſurgant aduerſus te caſtra, non timebit cor tuum. Quò maior in Deo fiducia tibi collocata fuerit, eò fœliciorem conſiliorum tuorum omnium progreſſum, & exitum es habiturus.

Neque verò in hac præfactione id agimus, quod facere nonnulli ſolent; qui vt Dominorum gratiam promereantur, multa fingunt, multa plus æquo tribuunt, amplificant, & exornant quę facilè redargui poſſunt. Quæ enim hactenus breuibus commonſtraui, & inter dicendum ſum commonſtraturus, in luce & omnium celebritate ſunt conſtituta. Vt impuden-

Digitized by Google

pudentiſsimi hominis ſit quicquam hac in re vel comminiſci, vel pluſquam par ſit, amplificare. Non enim aſſentatio habet locum, vbi veritas obtinet principatum. Quę cum ita ſint, nemo confido, erit tàm à communi hominum ſenſu alienus, qui hanc noſtram in ſectarios declamationem, tibi Fidei, & Religionis Catholicę propugnatori, dedicandam eſſe negauerit. Interim Chriſtus Rex Regum, & Dominus Dominantium, te ad annos Neſtoreos ſeruet incolumem, ſicuti hęc noſtra tempora calamitoſa, & vniuerſa Dei Eccleſia, ſuo quaſi iure exigit & poſtulat; vt ita tandem tuo propugnandę fidei feruentiſsimo zelo, ſingulari erga Religionem pietati; Iuſtitię maximę, & miſericordię, quę in te ſancto quodam, & Diuino fœdere conglutinantur, coronas debitas in ſempiterna illa felicitate recipias. Vale. Ex Piſanis Athenis ex noſtro Muſeo, in feſto Sancti Nicolai Doctorum, ſtudioſorumquè tutelaris. An. à Par. Virg. MDLXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DECLAMATIO ADVERSVS NOSTRORVM TEMPORVM NOVATORES

IN PISANIS ATHENIS HABITA.

Dominico Maranta Dominicano publico profeſſore Sacræ ſcripturæ, & Philoſophiæ ordinariæ interprete, auctore.

CONSVEVERVNT maiores noſtri optimarum artium ſtudijs deditiſſimi, his memorandis diebus anniuerſario ritu artes Sermocinales, Mathematicas, diſciplinas, Medicinam, Iuris prudentiam, Humanam & Diuinam philoſophiam commendare, & ſacrę Theologię myſteria perorando extollere, & ſingulos noſtrum ad ſacras literas, & omnes bonas artes addiſcendas excitare; Heroes Illuſtriſsimi Prætor & Rector, Theologorum conſeſſus ſpectatiſſimus, Doctorum corona celeberrima, ſtudioſi eruditiſſimi,

Digitized by Google

mi, quiquè adeſtis omnes in his Piſanis Athenis. Sed quoniã Chriſtianam Remp. afflictam & oppreſſam miſeris & perditis temporibus ſectariorum moribus & falſis doctrinis perſpicimus, aliud dicendi argumentum nacti non impiam, quam ipſi negligunt philoſophiam commendabimus, non theologiam, quam tranſlaticijs ſenſibus ſubuertunt, laudibus efferemus. Verùm vt Religionis orthodoxę Romanę ſtudioſiſſimi aduerſus tales perditos homines tetra ignorantiæ caligine obſitos quam uis non prolixa declamatione dicemus. Si homines ſunt cẽsẽdi, qui humana iura dicſtitur labefactare quinimmo diuina quæquæ penitus abolere. Qui ad eã deuenere dementiam, vt fateri non erubeſcãt. Deum potiſſimè creaſſe genus humanum ad interitum & damnationẽ. A' qui bus hoc vnum peto, ſi condendi generis humani ratio ea fuit vt damnaretur. Peccauit protoplaſtes Adamus & ab altiſſimis illis ſubſellijs ad eam miſeria deuenit, vt cùm Rege Chaldęorũ coactus fuerit inſeruire beſtijs. Vas enim tuũ inhabitãt beſtiæ agri. Et Diuinus vates ait. Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipiẽtibus, & ſimilis factus eſt illis. Hoc ſcelere perpetrato & hac culpa admiſſa Deus voti compos effectus eſt. Tamen quæ ſua eſt pietas, bonitas, & miſericordia ea percitus miſit Filium ſuum factum ſub lege, factum ex muliere, vt eos, qui ſub lege erant redimeret, & filiorum Dei adoptionem reciperemus. Mittit filium ſuum, qui venit quęrere & ſaluum facere, quod perierat. Nulla enim veniendi domino cauſa fuit, niſi peccatores ſaluos facere. Mittit filium ſuum, & de peccato damnauit peccatum in carne vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Mittit filium ſuum, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt, & homo factus eſt. Qui de ſe ipſo inquit non eſt opus ua-

lentibus

Digitized by Google

lentibus medico, ſed malè habentibus. Mittit filium ſuum delens quod aduerſum erat nos Chyrographum decreti contrarium nobis ipſum tulit de medio affigens illud Cruci, traduxit confidenter palàm triumphans in ſemetipſo, vt conderet duos in vno nouo homine, & veniens euangelizauit pacem, pacem his qui propè, pacem his, qui longè, pacem omnibus in uno ſpiritu. Mittit filium ſuum non ut iudicet mūdum, ſed vt ſaluetur mūdus per ipſum. Mittit filium ſuum qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Si ea fuit ratio hominis condendi vt perderetur, & damnaretur, quod dictum eſt, & culpa admiſſa Deus voti compos eſt effectus. Mittit filium ſuum pro generis humani ſalute, mutatus itaquè eſt ille apud quem Diuo Iacobo relatore nulla eſt viciſſitudinis & mutationis vmbra, ab antiquo illo damnationis propoſito in voluntatem aliam miſerendi nouam. Abſit hoc. Scriptum eſt enim. Ego Deus & non mutor. Et ſceleri ſcelus addentes affirmant. Nullum eſſe furtum, nullam eſſe ſcortationem, nullum eſſe adulterium cuius Deus non ſit cauſa agens, impellens, atquè neceſſitans. Quem tamen nec uelle, nec poſſe excogitare, aliquid mali omnes viri ſanctiſſimi tenuerè. Ita enim ſcriptum eſt. Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Et celebris eſt illa D. Fulgentij Martyris ſententia. Deus illarum rerum quarum eſt auctor, non eſt vltor. Cumque caſtiget & puniat peccata patrum in ſoboles, in primam, ſecundam, tertiam, & quartam generationem, ſcelerum, peccatorumquè author cenſeri nulla ratione poterit. Qui deniquè deſipientem illum imitari in cordibus ſuis commurmurantes dicunt, profectò non eſt Deus. Dùm quidam eorum ſolitis pædagogijs obnoxij ad ſacros Codices interpretandos aggrediuntur, in quot quæſo ſcelera, in quot portenta, in quot ſcommata dilabuntur, dùm vix methodicæ rudimenta grammaticæ edocti in qua dum

taxat

Digitized by Google

taxat & de Matre Andromaches,& de Niobes filijs diſſere re didicerunt, grauiora onera gerere audent, nàm vti,lan guidi, enerues, & imbecilles deficiunt; & quod magè dolendum eſt.gloriantur verum Dei cultum, & Euangelium hucuſque ſub ſcamnis delituiſſe, & nunc primùm ab ipſis in lucem reuocatum eſſe. Qui dialecticam renuentes, cuius ignorantia Pythagoræ, Parmenidi, Meliſſo, ſexcentiſque alijs errandi cauſa extitit, ſeſe ſingula rectè indagaturos arbitrantur. Quid cæteros commemorem? qui rerum naturalium & diuinarum ſcientiam, quam Philoſophiam appellamus, ſacræ Theologiæ minimè opportunam eſſe exiſtiment. A' cuius ſtudijs,quò quis magis aberit, eò minus ſupernis mentibus proximus habeatur. Dei ſi quidē inuiſibilia, quæ hec ſcrutatur,per ea quæ viſibilia ſunt,quę illa cōſiderat,dignoſcūtur.Si igitur tùm veteres, tùm moderni ſectarij Priſcæ & nouæ legis deprauatores non fuiſſent, maiorum noſtrorum, qui mira ſanctitatę conſpicui floruere rationem habuiſſent, eorum præclara ingenia collaudaſſent,illorum ſingularem doctrinam vbique gentium obſtupeſcentes prædicaſſent, nec illorum placita polluto ore fœdaſſent, quibus & ſi accuratiſſimè ſcripta offendantur,refragari contendant,vt nihil dixerint ſcriptores integerrimi, nihil diſputauerint, nihil denique perpetuis literarum monumentis mandauerint, quod tàm antiquæ, quàm nouæ legis diſſipatores non moliri exoptent. Illi ſuperioribus ſæculis ad ea Honorificè opera pertractanda vniuerſum populum adhortabantur,quibus cum perpetuam ſui memoriam poſteris relinqueret. Ij noſtrum ſingulos à prudentia, & animi moderatione, à Iuſtitiæ, Equitate, à Fortitudine, & Pietate, à Dei cultu & Religione in temeritatem & audaciam, & in luxum & libidinem,in odium & crudelitatem, in corporis cultum, & mentis ſecordiam, in vitia deniquè omnia, tanquàm nolentes pertrahunt. Quos vetuſtiſſimos ſcriptores cùm

Poly-

Digitized by Google

Polycarpo Dei filios amantiſſimos appello, cùm Irenæo doctores irrefragabiles, cùm Cyrillo columnas firmiſſimas, cùm Baſilio magno arces in expugnabiles, cùm Gregorio Naziãzeno orbis Deucaliones, cùm Gregorio Niſſeno muros ſecuriſſimos, cùm Oroſio Patres Patrũ, cùm Hyeronimo tuta eccleſię fundamenta, cùm Auguſtino Patres Orthodoxos, cùm Gregorio ſubſellia firmiſſima, & cùm Euchumenio ſolida propugnacula. Illi mortales, in ſola fide quæ ſine operibus diuo Iacobo Apoſtolo relatore mortua eſt, non torpeſcere ſinunt, hi virtutum obliti quò expeditius veluti noui Epicurei, Veneri, Baccho, & Genio indulgerè queant, nulla egregia opera fore exiſtimant, ſed ſolius fidei munere quemlibet eternam Beatitudinem promereri fatentur. Qua profectò re quid deterius, quid perniciosius, quid vniuerſo terrarum orbi exacrabilius contingere poſſet? Sic enim omnes leges irritæ eſſent, ſic Illuſtres viri ſegnes redderentur, ſic tot vrbes, tot prouinciæ, tot imperia, non arte & ratione, ſed dolo & fraude regerentur. Illi congenita libertate gaudent, qua & à vitijs abhorrère, & virtutes complecti dicimur. Hi nil ingenuum, nil præclarum, nil præſtans in nobis relinquentes omnimodam in rebus perficiendis libertatem auferunt. Non aduertentes, quod in Caſu primi hominis non fuimus voluntate priuati, ſed voluntatis ſanitate ſpoliati, vt D. Ambroſius luculenter affirmat, dùm de eo, qui in latrones incidit, quem ſpoliauerunt plagis impoſitis, & abierunt ſemiuiuo relicto, ſermonem habet. Atquæ vtinam intelligerent ea, quæ Diuus Auguſtinus dicit. Eſſe poteſt Iuſtitia Dei ſine voluntate tua, ſed in voluntate tua non eſt niſi per voluntatem tuam, Deus creat non exiſtentem, & iuſtificat volentem. Et alibi. Qui fecit te, ſine te, non ſaluabit te, ſine te, & aſſentiente & mærente. Quam rem ſi (vt par erat) ſectarij aduertiſſent, non appellaſſent D. Ioannem Chryſoſto-

 mum

Digitized by Google

mum bonorum operum encomiaſten & liberi arbitrij Pa tronum. Et Diuos Athanaſium, Baſilium magnum, Cyrillum Alexandrinùm, Vtrunquè Gregorium Naziaze num & Niſſenum bonorum operum exactores. Tanquàm non dij eſſemus, & filij excelſi omnes, nec natura liberi ſed ſerui potius naſceremur. Quod ſanè riderènt Peripatetici, vt Academicos prætercam & Theologos ſilentio inuoluam, qui adeò libertatem coluere, vt donum homini cœlitus datum prædicent & affirment, & ſecus ſentire flagitioſum exiſtiment. Tamen ii impoſtores & libero Arbitrio detrahunt, & bonis operibus imponunt, & patribus omnibus exiſtimationem vnà auferre contendunt. Fuit Gregorius Maſſouita tàm præpoſteræ mentis homo, vt fateri non erubuerit, plus valere vnum Caluinum, quàm centum Auguſtinos. Cui ſectarius Franciſcus Stancharus Mantuanus, occurrens ait. Plus valet vnus Auguſtinus, quam centum Lutheri, ducenti Melancthones, tercenti Bullingerij, quadringenti Petri Martyres, quingenti Brentij, ſexcenti Bezæ, qui omnes ſi cùm ſuis Sectarijs in vno mortario contunderentur non exprimeretur vna vncia veræ Theologiæ. Hoc enim rei euentus probat, nàm in vno eademquè Iuſtificationis articulo diuerſimodè docetur & philoſophatur à Iehennêſibus & Vuithbergenſibus, & Lipſienſibus, & Manſphel denſibus. Cùm Caluino Melancthoni non conuenit, & Hyeronymus Zanchus diſputando reclamat Argentinen ſibus. De ſola Iuſtificationis voce Oſiander viginti numerat opiniones eaſquè diſpares inter ſe. Deus itaquè iuſtus confudit eos, & infœlicis Babilonicæ turris ædificatoribus conglutinauit, vt complere non poſſint opus, quod malè cœperunt. Si enim Apoſtolus minimà Galatarum ſciſſuram ſufferre non potuit, quin aclamarit, O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit, non obedire veritati ante quorum oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt in vo bis,

bis, quàm amarò animò hâc multiplicem noſtrorum temporum Hydram Lernæam ſufferret. Non enim obſcurum eſt quamplurimos à Luthero palàm deficere, multoquè aliter de Iuſtificatione ac ille vnquam fecit, philoſophari. Sicut, Caluinus, Bucerus, Beza, Muſculus, Stancharus & pleriquè alij, quamuis ij quidem non ſibi per omnia conſtant. Pleriquè Illiricum meritò reprahendunt, eumquè Manichæum eſſe conuincunt. Facit enim Diabolum creatorem, qui in genere humano nouas quaſdam animas ſuper totum hominem regnãtes creauerit, eaſquè in infinitũ propaget. Fingit preterea hominem poſt lapſum Sathanæ geſtare imaginem, atque in ea transformatum eſſe. Tum docet hæc vocabula corruptionem, defectum, morbidam qualitatem, concupiſcentiam, pruritum, inordinatam diſpoſitionem, quæ homini poſt lapſum tribuuntur ſubſtantiam ſignificare. Quid aliud eſt hoc quæſo, præter quam Manichæorum deliramenta excitare, doctrinam de Iuſtificatione, & originis peccato corrumpere, & execrændas prorſus Hæreſes in Eccleſiam reuellere, & fidei noſtræ fundamenta euertere velle.

Quid plura commemorem? illi Deum & volentibus facilia præcepiſte teſtantur, prout ipſa ſaluatoris noſtri, Chriſti Ieſu voce monemur; tollite iugum meum ſuper vos, Iugum enim meum ſuaue eſt & onus meum leue. Et celebris eſt. D. Hyeronymi cenſura, qua præcipit anathema ſit, qui dixerit Deum impoſſibilia mandaſſe. Hi quæ noſtris viribus effici non poſſunt, præcipiſſe teſtantur. O obtuſa Reip. Chriſtianæ Nouatorum Sectariorum Ingenia, qui hæc pernicioſa nugamenta in veſtris vrbibus, in priuatis Edibus, in ipſis Dei altiſſimi Sacellis tanquã ſaluberrimas leges, & inſtituta ſanctiſſima promulgari ſuſtinetis, ò Impias imperitorum & deperditorũ hominum aures, qui ad hanc ridiculam Doctrinam haurien dam relictis viris eruditioribus cæci confluitis. Ita vt in

Digitized by Google

illa tempora inciderimus, quæ Diuus Baſilius magnus deflet dicens. Domus orationum concluſæ ſunt, vacua altaria, ſpiritali cultui non eſt ſuffumigium, diruta ſunt altaria, euerſæ Eccleſiæ, fugæ Præsbyterorum, fugæ Diaconorum, fugæ totius Cleri, & Epiſcopi ex ſola calumnia capti ſunt, & nulla criminis probatione præcedente ſupplicijs traduntur. O ſceleſtiſſimi homines qui Angliam vniuerſam deprauaſtis, totâ ferè Germaniam corrupiſtis, & florentiſſimum Galliæ Regnum depopulaſtis. Fuerunt Galli, fuit ingens gloria Gallorum. Incenſa Sectarij dominantur in vrbe.

Pròh dolor vnde tanti repetam primordia mali? Lógius quidem, quàm decreueram ſum progreſſus quarè, quæ alia ante ora veſtra ſparſerint Nouatores iſti, corumquè fautores ex me diligenter audite. Non contenti enim, que antea audiuiſtis palàm balatraſſe Deum ipſum, qui ſolẽ ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos apud quem, nec Iudæi, nec Greci vnquã diſtinctio extitit, relatore Tharſenſi Apoſtolo, qui omnium dominus, quiquè in omnes ſe inuocantes diues eſſe voluit, factionibus obnoxium credunt, & ſubſannando crudeliſſimum appellant, nàm eiuſdem prædeſtinationẽ antiquæ noſtræ libertati obſiſtere dicunt, & neceſſitatem inferre exiſtimant, perinde ac nulli noſtrum quicquam boni aut mali efficere poſſint. Ita enim otioſam vitam agere poſſemus, ſi his firmiſſimum præmium, illis ineuitabile ſupplicium neceſſitate aliqua conſtitutum arbitraremur. Quid itaquè prodeſſe debuit Tobiam in ieiunijs verſatum fuiſſe? Eſdram legis præcepta toti populo indefeſſa voce promulgaſſe? Helcanam vt Deum adoraret, ſtatutis diebus in montem aſcendiſſe? Ionathan vt Dauidem veſtiret, ſeſe ſua expoliaſſe tunica? Heliſeum mulieri viduæ proſpexiſſe? Neemiam aſſiduum in contemplatione fuiſſe? Zelo flagraſſe Eliam? Pietate Hieremi-

Digitized by Google

remiam? deuotione Danielem? Quidue obeſſe oportuit, ſi Athalia mater Ogoziæ Regis mortuo filio immoderata regnandi libidine percita vniuerſum ſemen Regium dele uit? Si Manaſſes ingratus extitit, & ſanguinem innoxium effudit, cruoreque innocentum Hyeruſalem repleuit? Si Antiochus vt diuinum cultum in Iudæa deſtrueret, multum laborauit? Si Salomon ſenio confectus ſculptilia coluit? Si populus Hębreus ingratus extitit: cùm liberi non ſimus, & quò fata trahunt, retrahuntque ſequamur.

Iam Erubeſcere videbor, alia ijs multò atrociora vobis exponendo ne huiuſce declamationis rationem non habuiſſe videar; nonnulla tamē perſtringere tentabo, quia id me efficere cogunt inuidi, cogunt noui Sectari, qui orbem diſſidiis concutiunt pro diſſeminando hoc funeſtiſſi mo & falſo quinto Euangelio, quod ferro propagatur & armis. Qui parentem ſuum referunt, qui primus ſæuit diſcordiam inter Deum & hominem, & abiit clàm inſpar ſis zizaniis Euangelica ſegete vitiata. Quinimò cogit veritas, quam magnā eſſe, & præ aliis omnibus excolendam præcepit Eſdras. Cùm neque ſanctos honorandos, neque ſanctorū numina, neque diuorū reliquias venerādas, neque illa implorāda, neque illorū imagines habendas, ne què vota perſoluenda exiſtimēt, apoſtatæ illius miſerrimi Lutheri doctrinā faſcinati. Sed Eccleſiæ auctoritatem minuūt, à qua relatore D. Auguſtino. Quicūquè fuerit ſeparatus quātumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſo lo ſcelere quoniā à Chriſti Eccleſia ſeiūctus eſt, nō habet vitā, ſed ira Dei manet ſuper eum, nec habebit Deum patrē, qui Eccleſiā noluit habere matrem. Hac Eccleſię aucto ritate vſus eſt Iræneus contrà Valentinum Hæreticum. Hac Tertullianus contrà Marcionem. Hac Origenes contrà Celſum. Hac Nicenum Cōcilium contra Arrium. Hac Baſilius magnus contra Eunomium, & contrà Pneumatomachos ad Amphionem ſcribens. Hac Hyerony-

Digitized by Google

mus contra Vigilantium, Iouinianum & Luciferianū. Hac Cyrillus Alexandrinus contrà Neſtorium, & ad Armenios ſcribens Proculus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Hac Theodoretus in Polymorpho contrà ſui temporis Hæreticos. Hac Auguſtinus contrà Donatiſtas, & Iulianum. Hac Leo, Gelaſius, & Ioannes Romani Pontifices, & Vigilius Epiſcopus Tridētinus aduerſus Eutychen, & Neſtorium. Hac Fulgentius contrà Arrianos, Hac Maxentius in libello fidei, quem ſedis Apoſtolicæ legatis obtulit, aduerſus diuerſos Hæreticos, Hac ſexta Synodus cōtra Monothelitas, Hac ſeptima cōtra Ichonomachos; In qua Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia inquit D. Auguſtinus multa ſunt, quæ nos detinent, Fides miraculis comprobata, ſpe aucta, Charitate roborata, & ipſa ſucceſſio Apoſtolorum à D. Petro Apoſtolo vſquè ad Syriacum ſui temporis Pontificem ſummum, & nos ad Sixtum V. vſquè. Oſtendant nunc ſectarii hanc germanitatem, & credemus eis. A' quibus ſi petamus vbi nàm ad Eccleſiam Catholicam conueniant, vix propriam oſtendent Cauponam. Iſtorum igitur conſilia diſſipat Deus, & præiudicio manifeſto declarat, eos nec vnitatis afflari ſpiritu qui velut Proteus colorem ſic ipſi ſuas ſubindè ſententias mutent, homines nimirum ex. D. Iacobi ſententia duplici animo & inſtabiles, qui (D. Athanaſio teſte) in eadem ſententia diu nequeant perſiſtere, ſed nunc in hanc, nunc in illam ſe ſeuertant, hodie affirmantes, quod cras iterum negent, vt ſic eodem ore modò calidum, modò frigidum ſpirent. Qui confeſſionem ſacramentalem audacter deſpiciunt, immaculatam illam hoſtiam, ſuauiſſimum illum calicem debita veneratione non proſequantur, ſibi perſuadentes nec illam in carnem, nec hunc in ſanguinem verti poſſe. Supremum dubio procul imbecillitatis ipſius Dei Argumentum, qui varias animantium ſpecies diuerſa rerum Elementa ſempi

ternos

Digitized by Google

ternos illos orbes, & ſydera, immenſos, & innumeros pænè angelos miro ordine, & omnimoda diſpoſitione ex nihilo creauerit, & vtriuſque ſubſtantiam in diuiniorem conuertere non poſſit. Non aduertentes longè maiorem, & intimiorem eſſe ſympathiam inter rem & rem, quàm inter rem & nihil. Quibus omnibus excogitari poſſe execrabiliora non crediderim. Interea tamen mutantur, immò & paſſim abrogantur ſacroſancta religionis inſtituta, nec ſolum errores ſeruntur ex erroribus, ſed & honeſtæ vitæ legumquè laxantur, quin & planè rumpuntur vincula; Vnde Chriſtiana iuſtitia qua nil antiquius eſſe decebat, magis, magiſquè repudiatur, Improbitatis autem & impietatis formæ & ſpecies teterrimæ, ità ab omni propemodu ætate, ordineque accerſuntur, excoluntur, graſſantur, vt priſtinæ iuſtitiæ veſtigia, quæ noſtrum ętate maiorum apparebant ſplendidę, nunc tantùm ex hominum animis, non deleta, quin & obliterata eſſe videantur. Quid cum purgatorium quò liberius debacchari queant, non reperiri proclamant, non tantum viuis contumelioſi, verùm etiam & defunctorum animas omniū viuētium ſuffragiis deſtitutas tabeſcere iudicant, aſſerentes earum ſupplicia nulla eſſe, nec mirum ſanè, quando ità docetur, & diſcitur, vt ab omnibus abſquè timore, & pudore vllo peccetur, & ſtulti homines ad ſummam vitæ licentiam idcirco ſibi promittant impunitatem, quòd fide Chriſtum teneant & appręhendant. Quò factum eſt, vt ſanctiſſimum coniugij vinculum dirimant, & paſſim Polygamiam introducere conentur. Ità demum ſibi licerè putant, quicquid libet eò quod pręclarè ſcilicet, vt vt ipſi viuant, Chriſti tamen iuſtitia tegantur. Et hac ipſa omnis iniuſtitia atque turpitudo credentibus etiam ſi obedientia & pœnitentia numquam accedant, ſtatim abſtergatur. Quod peſſimæ ſecuritatis malù in animis hominum tàm altas profectò iecit

radi-

Digitized by Google

radices, vt vix arte humana liceat reuellere, & funditus extirpare, prſertim cùm propemodum inſanabilis arrogātię morbus acceſſerit quo imperiti homines quantùmuis inepti & prophani, de rebus ſacris & literis nihil non intelligere,& iudicare ſe poſſe confidunt & ſtatuunt. Hinc tanta ingeniorum petulantia, tantumque in iudicando ſupercilium cunctos ferè ordiues occupat, vt indiſertiſſimi & indoctiſſimi quique tàmetſi nihil minus quàm ſacra didicerint, de omnibus ſacrę Theologiæ quęſtionibus palàm diſputare, & contra doctiſſimos liberè pronunciare minime vereantur. Quorum inſaniæ & temeritati ſi quis forte maiorum vel patrum auctoritatem opponat, mox illi ad ſolitas tergiuerſationes excurrunt, inſultant maioribus, parùm aut nihil tribuunt patribus, Eccleſię ſenſum & conſenſum reſpuunt, & demùm in dirimendis controuerſijs ſimul actores & iudices eſſe volunt. At mihi non Euangelicam, non Chriſtianam, ſed Luciferianam doctrinam hæc ſapere videntur. His ne ergò inuidebimus? Et obliti patrię, patriæ inquàm cœleſtis cùm liberi nati ſimus, vltrò mancipia euademus, inhiant illi, babuentur, allatrent, nos iter noſtrum acceleremus intrepidi, & de illorum nequitia Deo gratias agamus, qui ſedentes in vmbra mortis illuminauit, & æternæ vitæ ſocijs conglutinauit. Sonet vox illa Domini, ſuauiſſima in auribus noſtris, ſinite mortui ſepeliant mortuos ſuos. Mortui enim ſunt, quia Deo non viuunt, & hoc facto ab omni veritate ſe alienos eſſe declarant. Coaxent Ranæ omnes Aegiptiacæ, inſurgant & ſæuiant cum armatis copijs Pharaonis, vniuerſi demùm amalechitæ, & incircumciſi Philiſthei agminatim conſpirent. Quid? An idircò à complexu, conſenſuque Patrum perduelles iſti nos aſtrahent & à præſcriptis illorum terminis, bonorumque poſſeſſione legitimos hæredes excludent, vt quod auguſtum velut patrimonium ſanctæ à patribus
tradi-

traditum & relictū accepimus illud vel perdamus perfidi, vel deſeramus ingrati, vel prodigamus inſani. Auertat hanc tamē à nobis amentiam Deus, eamquè ſenſuum integritatem orthodoxis conſeruet omnibus, vt non quid nouatores Sectarij, ſomniant, ſed quid veteres illi ſentiunt, ritè animaduertant, ac pro dignitate ponderent, ne alióquin Dei verbum, & Doctrinæ Chriſtianæ diiudicatio non patrum ſapientię, ſed ſectariorum libidini parere videatur.

Quare Pientiſſimi Patres, quos credo de iniunctis mihi muneribus à ſereniſſimis, Magnis Hetruriæ Ducibus Franciſco, cuius anima ſancta requieſcit in Pace, & Ferdinādo Medices D. meis certiores eſſe poſſe. Si Chriſtianę Reip. iam iam vt videtis diruendę amore detinemini. Si Chriſtum diligitis, ſi Chriſti legem non deſpicitis, ea diligentius curate, veſtræ namquè fidei prudentię & pietati proſpicite, eiuſdem dignitatem, Chriſticolarum ſalutem, vitam, libertatem, Decus & Integritatem, cuncta deniquè cōmiſſa & credita animaduertite, de ſalute omnium cogitate, vobis conſulite vniuerſæ religioni fauete, miſeram noſtrā cōditionē cognoſcite, tetras Hæreticorū procellas quæ vndiquæ imminent circùmſpicite, otio indulgère deſinite. Saluator enim dominus noſter Ieſus Chriſtus morti proximus diſcipulos grauiter dormientes à ſomno excitauit, quo facto nos monere voluit, ęquum non eſſe, Sectariis in perniciem Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ vigilantibus in vtramuis aurem dormiant, qui illi prodeſſe debent.

Adſum itaquè ego omnium minimus vtriquè muneri mihi demandato non defuturus, Dominicis, Feſtiuis, & his quibus feriabimur diebus, prælecturus Epiſtolam quam Tharſenſis Apoſtolus Eccleſiæ Romanæ miſit. In Cuius dilucidatione ſolè clarius apparebit, in declarandis his aliiſquè iſtis coniunctis argumentis de Iuſtificatione

D de fi-

Digitized by Google

de fide, & bonis operibus, de Gratia & libero arbitrio, de Iuſtitia inhærente & non imputatiua, vt perperam à Pſeudo iſtis Chriſtianis dicitur, de Prædeſtinatione & reprobatione, quantùm à veritatis tramite, Nouatores iſti recedant. In cuius explicatione dicam quàm ſepiſſimè quã plurima ex Theologis ſecretioribus, Chaldeis, Egiptijs, Hębreis, Syriis, Mauris, Gręcis & Latinis.

Nec me præterit in multiloquio non defuturos errores, ſiquid fortè inter interpretandum effutirem, quod ſanam doctrinam non ſaperet, me & mea omnia Iudicio & Cenſuræ ſacroſanctæ Catholicæ & Apoſtolice Eccleſiæ Romanæ ſubmitto, extrà quàm cùm Diuino Vate Regioquè propheta exclamo. Omnis Homo Mendax, Grauiſſimos Doctores & patres ità interpretaturus vt iuraſſe videar in veritatis verba. Aliis verò diebus prælegam Ariſtotelis libros de anima cùm collegis meis Excellentiſſimis, & Doctiſsimis ambobus Franciſcis, Verino, & Bonamico, quos honoris cauſa appello, & Ariſtotelẽ cùm Ariſtotele declarabo, exẽplaria græca nocturna verſabo manu verſabo diurna. Nullus enim intrà hos publicos & priuatos Diuæ Chaterinæ parietes operã meã, meum ſtudium, meam diligentiam in vanum deſiderabit. Craſtinà enim die qui erit dies ſextus horis promeridianis præfabor ijs quæ dicturus ſum in explanandis libris de anima de Hominis dignitate, methodum præfigẽs, qua Duce ad vlteriora Deo annuente & fauente progredi poſsimus. Vobis verò omnipharìam Eruditiſsimis, atquè Doctiſſimis Dominis meis, qui honoris mei gratia huc conueniſtis immenſas & immortales gratias refero

Dixi.

F I N I S.

27

Cum Licentia
Superiorum.

FLORENTIAE.
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXVIII.

Digitized by Google

Z
1012.20

Digitized by Google

B

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google